

SUMMA IURIS

S. RAYMUNDI DE PENYAFORT (*)

Operae pretium est materiam huius voluminis breviter enucleare. Auctor in praefatione commemorat, quod cel. FR. VON SCHULTE inter primos fuit, qui Summae iuris S. Raymundi de Penyafort notitiam publici iuris fecit in "Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts", Stuttgart, 1877, II, págs. 410-11. Paulo post historiae Universitatum meritissimus auctor, P. HENRICUS DENIFLE, O. P., praedictam Summam inter opera S. Raymundi recensuit in *Die Entstehung der Universitäten des Mittelalters bis 1400*, Berolinii, 1885, vol. I, pág. 15, nota 76. Deinde notatur quod Patres BALME, PABAN et COLLOMB, qui "Raymundiana" ediderunt, sibi proposuerant editionem totius textus dictae Summae; sed agitur de proposito numquam in praxim deducto. Eandem sortem sortitus est FR. JOSEPHUS M. GARGANTA, O. P.; ipse occasione septimi centenarii Decretalium intenderat Summam laudatam publici iuris faciendam; sed aliis negotiis occupatus hanc curam tradidit amico suo, qui in Praefatione bene notat: "ante nostrae tempestatis eventum vix dicere possumus, an nostra Summa cognita fuerit necne". Ratio dubitandi ex eo provenit, quod iisdem divi Raymundi operibus diversa nomina assignantur.

Deinde auctor transit ad describendum Codicem Borghesianum 261, in quo ff. 91-102 Summa iuris invenitur; finis tamen desideratur.

* * *

Auctorem huius Summae esse b. Raymundum Rius probat tum ex Prologo, in quo habetur verba: Raymundus catalanus, tum ex argumento intrinseco; tempus redactionis attribuitur a. 1219 vel 1220, durante magisterio B. Raymundi in Universitate Bononiensi. In Conclusionem Rius notandum censet: "percurrendo textum non potuimus non mirari de claritate a s. auctore adhibita in sua expositione, et de methodo, quae hodie diceretur moderna; nam singulis quaestionibus adicere probationes ex tot

(*) Josephus Rius et Serra, Antistes Urbanus et Officialis S. R. C. publicanda suscepti omnia opera S. Raymundi de Penyafort; primum volumen, cui titulus: "Summa iuris", editum fuit Barchinonae a. 1945.